



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofurti, 1684**

Tribuni duodecim Iacobi Filii. Somnium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

*Disce quām magnum sit infortunium magna fortuna.*

At malum malo mutatur,

Dum à Socero lapsus, in Fratrem relabitur;

Sed inter furem ac furentem medius,

Illum dolis vincit, hunc donis.

*Disce quām secura munimenta sint munera.*

Nam ferro invictos, auro vinces,

Ultima restabant tentamenta Virtutis;

Soceri astu, Fratri's astu inconcussus,

Natorum flagitiis concutitur;

Cruento Josephi spolio deceptus,

Fictam cædem veris lachrymis luit.

*Disce, multiplici ex connubio plus doloris quā solatiū proponi.*

Kediit tandem felicitas sera, sed seria.

Læta enim ac tragica agnitione,

Dum Benjaminum repetit, Josephum reperit.

Itaque inter Filios duodecim, oscula, & animos dividet;

Ingenti felicitati sucepuit.

*Disce Virtutis leges, Viator;*

„Verè ut gaudēas, diū lugendum,

## TRIBUNI XII.

### JACOBI FILII.

#### SOMNIUM.

*Shavis futurorum interprets Somnus,*

*Vel Iosepho ad Cælum r فهو،*

*Vel Cælo ad Iosephum delato،*

*Talibus Oraculis puerile peccus implevit.*

Huc nobis Infans.

Signiferum illum Orbem, Phæbi Phæbesq; curriculū vides.

Ubi Astra duodecim tempestates alternant.

Vestrae familiae vides Emblema,

Hic Signorum Princeps, ac vernæ fœcūditatis antistes.

Te tibi ostendit,

Cui Primigeniorum dignitatem

Natura negatam Virtus dabit;

Cū

Cum ex famulo Princeps.  
Ægyptum ditabis, ab Ægypto ditabere:  
At ille torosus, & aratio sacer Bos,  
Issachar est:  
Qui oneris quam honoris patientior,  
Nectura vestitans, juge perferet jugum.  
Jam Geminorum Fratrum nodus Benjamino astruit.  
Vero Philadelphiae exemplo.  
Unico tecum animo, quia ab unico utero.  
Jam verò sub æstuosum Tropici limitem  
Refugus latibulans Cancer,  
Nephthalis est à recto retrogradus.  
Nec servile ingenium mirere, de Servâ natum!  
Cernis subinde jubatum radiis Leonem,  
Magnanimum, victor, strenuum caput?  
Hæ Judæ dotes;  
Quinomen Genti, sceptrium Regibus, Messia & natales dabit.  
Virginem verò,  
Solivagum, severum, sed castum Sydus,  
Ad Levim referas.  
Quem pudicitiae amor ultorem libidinis faciet.  
Ac Tribu soloq; dimotum, atis Temploq; admovebit.  
Danum æquissimum Judicem; Libra præfigit:  
Quæ noctem diemque, hoc est pœnas & præmia,  
Pari lance suspendit.  
Cernis ne Scorpionem illum truculenter blandum,  
Ore innocentia, nocente cauda?  
Simonis perfidiam notat:  
Qui vel suo proditor nominis  
Paci verba, dexteræ telum aptans.  
Credulo Sichem, citius jugulato quam jugato:  
Nuptialem ipsam facem supponet.  
Nec melius ex Centauro præfigum:  
Hinc humana specie, inde equina lascivia biformis,  
Rubeno responderet.  
Tantæ humanitatis, ut tuo funere pollui nolit:  
Tantæ lasciviæ, ut Patris thalamos ultrò polluat:  
Æquè pius dum Fratres servat,  
Ac impius dum Fratres gignit.

Pari igitur præmio pœnaque dignus,  
 Primogenitus nascitur, Primogenita amittet.  
 Euge, fœdissimum Capricorū cum Gado confusat,  
 Deformes, sed uniformes.  
 Nam Martis ille ac Maris turbator,  
 Campos cædibus, freta tempestatibus asperat.  
 Hic Sociorum quietem movebit:  
 Ditiones seditionibus agitabit.  
 Contra verò,  
 Regius hic minister *Aquarius*, Azeri schema est;  
 Qui de gregali ad Regalem sedem vocatus,  
 Regum Animos tractabit, iras mulcabit.  
*Fishes* demum, lubricæ Maris animæ,  
 Zabulonis sortem pingunt.  
 Qui pisculentam sortibus oram,  
 Divitias ac delicias comparabit,  
 Hæc vestræ fortuna Domus;  
 Cœli filia, Cœlo nixa, cum Cœlo duratura,  
 Quid enim Cœlum, nisi mysteriorum Pictura;  
 Hæc varicinatu Sopor, evansuit.  
 At experrectus Ioseph,  
 Suo Somno Fratres fecit insomnes.

